









JACOBUS GREGORIUS  
REDIVIVUS

*Sive*

ORATIO

DE VITA ET OBITU

Amplissimi atq; Prudentissimi

VIRI

DN. IACOBI GRE-

GORII Consulis Reipubl. Servestanæ  
olim primarii

*In Illustri Illustris. Principum*

*Anhaltinorum Gymnasio*

INDULTU SUPERIORUM

*In solempni & frequenti Panegyri*  
*recitata*

à

M. JOHANN E CREMERO  
Silesio.

Prid. Eid. Februar.

ANNO ΧΡΕΙΣΤΟΥ 1694

M. DC. XXV.

SERVESTÆ

*Excudebat Zacharias Dörfferus.*





Trinæ

SENATORII ORDINIS

Apud Servedanos

DE CURIÆ

Viris

AMPLISS<sup>is</sup>, PRUDENTISS<sup>is</sup>, CON-  
SULTISS<sup>is</sup> SPECTATISS<sup>is</sup>

Dnnn. COSS. JUDICIBUS, CAME-  
RARIIS, SYNDICO, CETERISQ.

*Universis ac singulis*

*omnium Ordinum*

SENATORIBUS

Suis

COLLEGIS olim Et

AMICIS HONORANDIS:

Juxta &

FAMILIÆ SUÆ FAMIGERATISSIMÆ

Dnn. AGNATIS, COGNATIS, & ADFINI-  
BUS suis

longè honoratissimis

sistit se REDIVIVUM

JACOBUS GREGORIUS CONSUL

Stylo & voce

*M. Johannis Cremeri*

*SilesL.*



## PRÆLOQUIUM.

**A**uffas, PATRES CONSCRIPTI,  
Viri honoratissimi, Fautores & Pro-  
motores demissè colendi, propter  
quas bonorum virorum non tantum  
mortes luxerint, sed & merita gratâ prædica-  
tione celebrârint Veteres cum Sancti, tum  
Profani, habuerunt inter alias sequentes. Pri-  
mò enim non ignorabant, haut meritas DEO  
Immortali haberi gratias, si dona DEI in tan-  
tos viros collata, oblivionis caligine obscu-  
rentur: nec luci meridianæ exposita ad seculum  
usq; posteros deriventur. Deinde arbi-  
trabantur, deberi hoc officium Iplis etiam virorum  
honoratiorum Manibus, ut testimonium ali-  
quod honoris, dilectionis, & gratitudinis no-  
stræ, veluti præmium exantlatorum laborum,  
post mortem secum ferant: nec cum monstro-  
sitate vitiorum, more absurdissimo, virtutis  
pulchritudo confundatur. Deniq; Parenta-  
tionum consuetudo & ideò inolevit, ut Ju-  
ventus stimulis quibusdam, & veluti occultis  
facibus ad similia suo tempore perficienda  
exuscitaretur.

A 2

Atq;



Atq; hæ etiam causæ fuerunt, cur oratione  
parentali beatissimos Manes JACOBI GRE-  
GORII, Consulis de Republ : vestrâ præcla-  
rissimè meriti, in publico Gymnasl Anhaltini  
Auditorio, decoratum ire voluerim : non fri-  
vola illa, quæ cicumfertur, & in cerebellis im-  
peritiorum quorundam hominum nata me-  
ritò creditur. Cur verò typis exscriptam ve-  
stræ, PATRES CONSCRIPTI, Viri ho-  
noratissimi, tutelæ committam hanc ingenii  
prolem, causam habeo publicam & privatam.  
Publica est, quòd præter vos neminem fore  
existimaverim, qui laudes GREGORIANAS  
triviali huic aulæo rudi acu intextas nervosius  
adferere possit, aut lubentius etiam velit. Ve-  
ster enim ille Collega : Vester Agnatus, Co-  
gnatus, Affinis : quem nimirum omnes & sin-  
guli in summis habuistis deliciis. Privata: ut  
me, meaqué studia vobis de meliori, quòd  
ajunt, notâ commendem, quos clariùs be-  
neficentiæ suæ fulgore spretas illustrare Ca-  
menas, & fovere calore benivolentiæ eas-  
dem, fama tulit : adeò, ut mihi sub vestro  
patrocinio omnia tuta & florida pollicear. Su-  
scipite igitur, PATRES CONSCRIPTI,  
Viri honoratissimi, hunc Ingenioli mei fœ-  
tum :



tum: suscipite Parentem, qui emisit: quorum  
utrumque vobis mancipatum videtis. Va-  
lete diu FELICITER, mihi & studiis meis  
non difficiles: ac, bono cum DEO,

Euboici incolumes transcendite pulve-  
ris annos.

Dabam è Musæo meo ~~Prid~~: Eid. Mart. Anno  
Epoches Christianæ 1625.

*V. V. V. Amplitud.  
Et Prudent.*

*Devotus Cultor*

*M. Johannes Cremerus.*

*Silesius.*

**A 3 ORA**



## ORATIO PARENTALIS.

**A** Pud omnes, quæ quidem humani-  
tatis palmam aliis præripuere, gentes, Magni-  
fice Dne. Cancellarie, Viri Amplissimi, Reve-  
rendi, Clarissimi, Consultissimi Excellentissi-  
mi; Vos item ortu & arte præstantissimi Juvenes-adoles-  
centes: Apud omnes, inquam, quæ quidem humanitatis pal-  
mam aliis præripuere gentes, funerum curam tanquam ipsi  
mortalitati coætaneam, & speciosam quidem illam atq; ma-  
gnificam apud plerasq; receptam fuisse & observatam, hi-  
storiorum fide accepimus. Quanto enim cum apparatu A-  
chilli, Duci Græcorum fortissimo, funus sit factum, & quàm  
multifaria ille habuerit, quæ ex animum ejus corpus exorna-  
rent, felicissimus Homeri continuator Quintus Smyrnæus  
docet. Inter alia verò insignia & memorabilia, hoc vel in-  
primis meminisse juvat, quod scribit idem Musas etiam è  
bicipiti Parnasso, tanti Herois exequias ivisse, quæ Patro-  
num summæ questæ & Thetidem Achillis matrem consolata  
fuerint. Quis igitur nunc ita ab omni humanitate remo-  
tus, nostris Musis indignum fore arbitrabitur, quominus su-  
um etiam, quem ex Amplissimi prudentissimiq; Viri Dn.  
JACOBI GREGORII Consulis eheu! olim de repu-  
blicâ nostrâ optimè meriti &c. Patroni non minùs sui desi-  
deratissimi, obitu sanè non ita pridem luctuosissimo, dolorem  
acceperint, hodiè publicâ hac parentatione contestentur?  
Verùm enim verò JACOBUM GREGORIUM dum  
nomino, quantam jacturam Curia Servestensis morte viri il-  
lius



lius passa sit, non possum non sine lacrumis meminisse. Heus ergo lacruma ubi estis? Ubi estis lacruma, extremi doloris subsidium? Quando tandem fluitis? Profecto si hic sistitis, impiè prorsus sistitis. Sinus itaq; omnes effundite: omnes aperite salientes. Ingentem & interminam vobis effluendi materiam undecunq; depromit inexpectatus & acerbus Consul nostri obitus. Et vos, Cives Servestani, malo huic vestro quando tandem indolebitis? Profecto magnum hoc & acerbissimum, quod nuper omnes accepistis, vulnus si minus doletis, lapidei planè censendi estis, aut vobismet ipsis inimici. Ut enim Consul iste tuus, ô Servesta, cecidit: corona capitis tui pretiosissima simul cecidit. Ut Consul iste tuus exspiravit: Anima quoq; Consilio tibi fidissima exspiravit. Ut Consul iste tuus concidit: fulcrum quoq; reipubl. tuæ primarium concidit: & quod maximè dolendum, procellosâ hac tempestate tua concidit. Ecquis igitur Indigenarum, quis propinquorum, quis optimatum, quaeso, fuit, qui non ex Viri hujus desiderio, cujus prudentiâ suo quodam fato senescens Respub. innitebatur, plurimum sibi decerpserit maestitiæ? Clientes Patronum Propinqui decus atq; ornamentum familiae, Viduae atq; Pupilli grande columnen, Liberi Parentem, Marita Maritum, Collegium fidum Achatem, omnes boni antiquae pietatis & germanae fidei exemplar, tota deniq; Respub. quæ velut in turbulento rerum Oceano tempestatibus acta sursum prorsum itura videtur, Consilio-Navarchû raucis pro dolor! sed frustraneo clamore requirunt, Virgilianum illud crebrâ memoriâ lacrumisq; frequentibus ingeminantes:

---- Quis te Palinure Deorum  
Eripuit nobis?

Sed quid vulnero vulneratos? Aut cur Ego vomicam aperire, quàm obducere, maleq; sanam cicatricem refricare, quàm  
sanare



sanare malo? Quin potius fletu nonnihil represso, quia isto nihil proficimus, lacrimas in laudes convertimus, atq; ita illi tanquam Atlanti Reipub. fortissimo supremum pulverem religiosâ manu injicimus, ne, si in illis moremur, diffidentia, si in his desimus, improbitatis nostro penè merito insimulemur. Enimverò quos ob rarâ admirationem virtutis & singularia in rempub. promerita, dum in vivis erant, honore quovis prosecuti sumus, eorum post debitum naturæ persolutum memoriam deponere, & eodem tumulo cum terrenis exuviis dotes ingenii, virtutum monumenta meritorum famam inferre, quis vestrum est, Auditores Cordatissimi, qui, quàm præpostera hæc sit & iniqua planè ratio, negare ausit? siquidem hac ratione germanæ virtutis studiosum, cum propudioso aliquo scelere aut putris ignavia prostibulo quodammodo confundi, nemo credo ignorat. Quam in rem egregiè Horatius, Lyricorum Ante signanus, exclamat:

Vixere fortes ante Agamemnona  
Multi: sed omnes illacrumabiles  
Urgentur, ignotiq; longâ  
Nocte: carent quia Vate sacro.

Quamobrem non, opinor, peccabo hodie, Auditores, neq; hoc meum institutum ullis sive Zoilorum cavillis, sive imperitorum fastidiis traduci debebit: dum sanctissimos JACOBI GREGORII manes oratione publicitatis honoraturus, brevissimam vitæ, quam laudatissimè egit, commemorationem instituere conabor: atq; adeò pro summo adfectu, quo me meosq; singulari prosequutus est, non dico parem (quis enim dixerit?) sed infimam gratiam sancto cineri exhibebo.

Neq; verò in decimam octavam ab ejus obitu hebdomadem comperendinatus fuisset parentalis iste honor: nisi veritus essem, ne, si temporis huic operæ me accingerem,

matu-



maturiore quodam studio antevertere alios viderer.

Neg, etiam nescio, quàm difficile onus susceperim, cum argumenti gravitatem cum ingenii mei tenuitate ex adverso comparare instituo; ut multi etiam futuri sint, qui virum undiquaq, laudatissimum exiliter hac exarescentis Ingenii pauperie laudatum agrè ferent. Sed hic Auster adeò me non percellit, ut stadium inceptum deseram & hastam post terga relinquam. Quod enim dicendi provinciam suscepi, feci id non aliquà arrogantia, quam procul habeo, aut facultatis dicendi, quam nullam in me agnosco, ostentatione: Sed haut culpanda, ut Ego opinor, in consulem beatissimum pietate & debito quodam Manibus ipsius officio.

Dicam itaq, & verbis quotidianis, linguaq, ineruditâ, non heroico dicendi genere, quod sibi plurimi hodie arrogant, non tamen assequuntur, quo in loco Defunctus Consul, quibus Parentibus in lucem prognatus sit, quam fidelem in adolescentiâ operam in studiis navaverit, in ætate maturâ quæ obierit munera, quis vitæ privatæ modus fuerit, dicam: donec tandem extremam vitæ clausulam extrema Oratio complectatur & claudat.

Quod dum facio, Auditores, quod vestri est favoris & benivolentiæ, aurium v. strarum obsequia paulisper ut mihi commodetis, enixus à vobis omnibus peto.

Ut verò inde pensum hoc trahere incipiam, planè non non opus esse puto, telam me ordiri declamatoriam de natalibus beatissimi Consulis, qui notiores sunt omnibus, quàm ut à me illustrari aut explicari ulterius possint. Quando tamen, more in funebribus solemnitatibus obeundis recepto, primario ista loco numerari convenit, ne nihil dixisse hac in parte videar, ea, quæ propius tot maxime nostrum attingunt, silentii conopeo involvere neque possum neq, debeo.

B

Non



Non enim postrema vera gloria materia est, ex praestantibus  
 & gloriosis Parentibus in familiâ non indecorâ progenera-  
 tum esse: nec parum refert, quo cælo, quâ gente, quâve domo  
 ortum traxeris: quod his indoles animi, mores Indices men-  
 tis, atq; ab his profecta rerum gerendarum ratio ut pluri-  
 mum respondeant. Neq; enim Socraticam opinionem Phi-  
 losopho indignissimam approbare possum, quam Laertius re-  
 fert: Opes nimirum & generis nobilitatem nihil quidem ho-  
 nestatis in se habere, malum verò quodvis inde oriri. Nisi  
 me fallit opinio, convitio isto Socrates generis sui obscuri-  
 tatem excusare voluit, quem Patre marmorario & matre  
 obstetrice progenatum esse, scribit Valerius. Neq; etiam  
 fides in universum haberi debet veteri illi & decantato pro-  
 verbio: ἡρώων τέκνα πῆμαται; cum illa degeneratio ab Educa-  
 tione magis vitiosa, quam naturæ defectione dependeat.  
 Quin Ego potius cum non raro

--- redeat ad Autores genus,  
 Stirpemq; primam posterum sanguis referat,  
 referente Senecâ, cum Flacco affirmârim,  
 Fortes creari fortibus & bonis:  
 Esse in juvenis, esse in equis Patrum  
 Virtutem, nec imbellem feroces  
 Progenerare Aquilas columbam.

En vivum vobis exemplar τὸν μακαρίτην nostrum  
 GREGORIUM! quem natalium splendore famigerabi-  
 lem satis fuisse nemo vestrum ignorare potest, sive locum,  
 quo exceptus, sive Parentes, ex quibus in hanc lucem editus  
 est, rectiori libellâ examinare lubet.

Locum quod attinet, nostra ille Servesta est, metropo-  
 lis, uti nostis, quotquot hic estis, totius Anhaltinatus, avita  
 Principum Anhaltinorum aula atque habitatio: urbs mea  
 quidem,



quidem, nec dubito quin etiam vestro, nec falso iudicio felicif-  
sima. Sive enim victus parandi commoditates in coquen-  
dâ Cerere trutinaveris, sive capacitatem loci reputaveris, si-  
ve deniq; civium numerum & conditionem tolerabilem &  
humanitatem cōsideraveris, haut facile, quod felicitatis pal-  
mam Servestæ nostræ præripere possit, opidum invenies.  
Quid verò de interioribus ornamentis dicam, quibus sin-  
gulari D.E.I gratiâ mactata,

--- tantum alias inter caput extulit urbes,  
Quantum lenta solent inter viburna cupressi?

Namquæ omnis mundanæ felicitatis origo est, ea verò heic  
maximè scaturit et ebullit. Quid enim incorruptam & à  
traditionibus humanis purgatam Legis & Evangelii do-  
ctrinam triumphantem Servestam adducam? quando non  
minùs nobis, quàm populo olim Judaico mysteria verbi sui  
revelavit Jehova, legumq; suarum scientiam retexit. Quid  
deinde ἀγαθὴν καὶ εὐαγγελίαν Φοῦ, cum Poeta loquor, enarrem? quan-  
do non modò in schola Senatoriâ, sed & Illustri Ingenia do-  
ctrinæ avida ad Eusebies Sophiesq; culturam diligenti curâ,  
& assiduitate formantur? De Justitiæ verò administra-  
tione quid dicam? quando Iro pariter ac Cræso jus distribui-  
tur, totisq; viribus laborat Magistratus noster, ut non tam  
publica, quam privata ubiq; pax colatur & servetur: de quâ  
non possum non gratulari patriæ nostræ continuâ & perpe-  
tuâ, cum alii populi viciniore assiduis bellorum motibus  
quasi exhausti, hostiumq; furoribus graviter attriti, & con-  
quassati fuerunt: quam ut perpetuo florentem possideat  
Servesta nostra, faxit is, qui Pacis princeps in scripturâ dici-  
tur, Jehova.

In hac igitur urbe tam celebri tam felici, mundi lu-  
mē aspexit primum Gregorius noster, cui ante paucas septi-



manas exequias paravimus, æræ Christianæ secundo & septuagesimo supra sesquimillesimum anno, ad diem decimum tertium Februarias Kalendas. Et hic est ille locus, ubi infantia eius primum vagiit, pueritia lussit, adolescentia literis operam dedit, Juventus docuit, firmata ætas imperavit, senectæ denique, mortales rursus ex oculis deposuit.

Pater ipsi fuit quodvis. & spectatissimus atque prudentissimus olim senior Jacobus Gregorius, qui & ipse ad Reipublicæ gubernacula sedit, sibiq. fortunas civium annis bene multis commissas habuit. Quo in officii genere qualem se presterit virum, quam amantem Patriæ, Innocentium defensorem vigilantissimum, viduarum & Pupillorum tutorem gravissimum, non minus plurimi vestrum noverunt; quam ipsum, novissimæ gratiæ anno millesimo sexcentesimo undecimo, mortalitatem hanc explevisse non ignorant.

Matrem habuit omnis muliebris sexus ornamentis conspicuam Elisabetham viri non minus prudentis atque circumspecti Jacobi Eveni, Camerarii hujus reipublicæ fidelissimæ filiam.

Ex his igitur Parentibus susceptus atque editus est in hanc lucem communem, ex divinâ benignitate o Mæna ejus noster: quod ego primo felicitatis loco pono. Quidni enim ponam? cum nobilitas Parentum præstantissimum sit liberorum patrimonium, juxta Isocratem; & à naturâ propè hominum generi insitum sit, non solum ut liberi Parentum virtutes exosculentur, easq. studiosè persequantur: Verùm studiosius multò ab ipsis etiam parentibus ad eas incitentur: quemadmodum præclare Maro Æneam suum introducit loquentem:

Disce, puer, virtutem ex me verumq. laborem:  
Fortunam ex aliis.

Nec



Nec est quod gratâ mente hoc Dei ter Opt: Max: benefici-  
um non agnovisse piè Defunctum nostrum quis affirmare ve-  
lit, nisi planè Gregoriana pietatis expers fuerit? Quin ego  
potius quicquid possum voce contenderim, sepe numero depre-  
dicasse eum gratiam istam Jehovah & tergeminis in cœlum  
tulisse honoribus: quod, sicuti Demosthenis & Platonis alio-  
rumq; quos imitaretur, hominum, effigies in villis M. Tul-  
lius habuit: ita ipse vivam doctrinæ & virtutis, quam adi-  
ret & intueretur, imaginem, Patrem domi suæ habuerit, atq;  
adeo cum lacte materno puræ vitæ & doctrinæ naturalem  
succum quasi imbibierit. Quæ tamen omnia non eò dicta  
velim, quasi illorum patrociniū suscipiam, qui prisca glori-  
antur origine inde usq; ab Adami rutro & Evæ colo deducta:  
multò minus illorum, qui se & similes sui, quos nimirum su-  
pra vulgi cōditionē paulò altius evexit serenior nataliū be-  
nignitas, solos admiratur solos honore, solos laude atq; depre-  
dicatione omnium seculorum dignos existimant. Nunquam  
mihi Auditores ista in mentem venit opinio, ut qui non igno-  
rem, Aliena ferè laudare eum qui genus jactat suum: neq;  
credo Defuncto Consuli unquam, qui quò præstantiori fami-  
lia oriundus, eò demissiore animo semper fuit. Sciebat ni-  
mirum ille cum Platone: Nihil turpius accidere posse viro ali-  
quid sibi arroganti, quàm seipsum honorandum non pro-  
priam ob virtutem, sed propter gloriam majorum, præbere:  
maximæ omnium gloriæ sibi ducens, non quòd generis digni-  
tate antecellat alios, sed quòd vera agnitione Jehovah imbu-  
tus, Ecclesiæ civis nuncupari citra controversiam possit.

Unde verò ipsi hæc animi benè compositi adfectio? Un-  
de? nisi à prima educatione, cui unica & uni hanc animi mo-  
derationem debuit: Et si enim puer adhuc omnium mentes  
bona spe & expectatione compleret: non tamen contenti ista



indole pientissimi Parentes de pia ingenuaq; Filii educatione, qua non ad earum rerum jactantiam, quibus freti nunc plurimi inolescere, altoq; alios supercilio despicere solent, prepararetur, sed vera ipsi virtutis & doctrinae sacraria aperirentur, mature sibi cogitandum esse statuebant. Quod si enim in arboribus ferendis accuratam surculorum rationem habere solemus: quidni eandem quoq; adhibeamus in parvulorum informatione qui aliis aliquando profuturi sunt & praefuturi? Non enim parum refert, quomodo tenellos puerorum animos fingamus & refingamus: nec nulla omnino vis est Educationis primae. Efficax est natura: sed quae pravam corrigit, bonam confirmat, Ingeniorum cultura efficacior. Avenam incultae mandatam terrae in lolium degenerare, quemadmodum triticum in siliginem, omnes noverrunt quotquot Agriculturae operam locarunt suam. Non aliter tenella puerorum aetas ferinam facile induit naturam, hominis exnta, & nomen generis sui perdit, nisi diligenti cultura & institutione, malo huic infantibus occurratur annis.

Partium itaq; suarum memores optimi Parentes non tantum domi suae manibus pedibusq; eò contenderunt, ut frequentioribus monitis & exemplis vera filio huic suo pietatis & doctrinae via à puero statim panderetur, sed in Scholâ patriâ etiam temporis sapientiae Magistris in disciplinam tradiderunt: eumq; à primis pueritiae annis in Musarum contubernio educari voluerunt. Non enim nesciebant prudentissimi Parentes, eum, qui non in plebejorum tenebricoso pulvere, sed in societatis politicae oculis aliquando victurus, & cum laude victurus sit, nunquam hanc felicitatis adorem indipisci posse, nisi à teneris, quod ajunt, unguiculis mentem inscitia abluerit, nisi animum rerum faciendarum & fugi-

enda.



endarum notitia imbuerit, nisi deniq; habenarum nunc laxandarum, nunc astringendarum peritiam sibi magna cum industria compararit.

Vultis ergo & vestros, Cives Anhaltini, liberos inter purpuratos Patriæ Præsules, condecoratos Reipub. præsides eminere aliquando atq; splendere, agite, quod vestri est muneris, legitimè & honestè eosdem educate, Scholæ Magistris efformandos tempestiviùs præbete, Juventutemq; reipubl. utibilem aliquando futuram, ceu plantas tenellas, recta disciplina gubernate.

Sed, Deum Immortalem! quàm paucos hodie in circo hujus mundi reperias, quibus ista salus Patriæ curæ cordiq; sit: quiq; liberorum curam eam suscipiant, ut maturiùs pietatis & literarum officinæ expoliendos concedant?

Est enim in propatulo, plurimos in eam omninò suas includere cogitationes arcam, ut ampli satis patrimonii hæredes filios factitent: hoc summam atq; scopum totius paternæ erga subolem & cogitationes censentes: De præformatione verò eorundem in literis, in pietate, in moribus nihil unquam cogitantes. Quid malum, inquit Euclio aliquis, Egone verè possessionem felicitatis tenello meo monstrosè inviderem? Egone ipsi sumtus ad literas otiosa otiosorum hominum nugamenta? & sumptus quidem prægrandes, in annos tam multos? Hæm! pereant potius omnes literæ & literarum officinæ. Tenellus quidem meus aliam condiscat artem, quæ minori pecunia comparari possit; vel id potiùs agat, ut paternæ opes indies crescant & augeantur. O Infelices & miseros adolescentes, quibus quidem ii Parentes contigerunt, qui ita salutis ipsorum cupiunt & famæ, ut obscuræ & stultæ plebeculæ accenseri eos malint, quàm in luce & claritate positos viris! O Parentes, nescio quo nominis genere appellandos, qui



qui tantum abest, ut optimum quodq. liberis exoptent, ut potius omne malum imprecentur iisdem & vocent!

Quantò rectius faciunt illi, qui nullam in rem melius numos collocari existimant, quàm in literarum rerumq. honestarum acquisitionem: qui nullis parcunt sumtibus: qui nullo etiam nescio quo amore ab hac mente abstrahi se patiuntur. Eodem enim in censu & reputandi sunt illi, qui tanto amore filiorum ardent, ut jure meritoq. Simia illos comparaveris, quæ nimio complexu fœtum enecare conspiciuntur. Sunt hi verè, quod audiunt, Parentes, ut qui parent liberis, quibus imperare debebant: & liberi verè liberi, omnibus nempe disciplina legibus soluti, ad otium propensi, ad voluptates proni, ad luxum præcipientes, ad omnis deniq. generis vitia proclives. Quid malum! hac ex parte alius, Itane, inquit, Ego filiolum meum oderim, ut vilibus Magistellis & de Scholâ, hominibus eundem submittam? Delicias ego meas tot tantisq. laboribus, nescio quam captando scientiam, frangi & debilitari sinam? Solatiolum deniq. meum severiore aliqua cultura patiar obtundi? Non per Deum, non ita macerari in Scholis filiolum concedam. Suis illum moribus, suo istum ingenio vivere paternæ opes & matris consuadent gratia.

Cogitate nunc, Auditores quàm egregiè hi ipsi filiorum saluti consulant? Imò consulant etiam saluti Patriæ? Anne homines ejusmodi parentes Reipub. aliquando exhibituros putatis? Magnum profectò erratis errorem, ea si vos tenet opinio. Non enim homines, sed truncos & statuas, sed immanissimas beluas, truculentissimasq. bestias Reipublicæ aliquando sistent, quales Nolani judicabantur ab hospite, Nolanos homines convocare jussu, ex Imperio Censoris Romani. Ponite enim vobis paulisper ante oculos ex trivio ali-



aliquem, cui nunquam erudita virga pectus percussit, eiusque ingenium, & mores, & actiones, vitam denique totam introspicite: Sic evidentiùs, opinor, quanta sit utilitas institutionis Scholasticæ, percipietis. Ejusmodi enim aliquis, quid societati communi, quid sibi ipsi privatim suisque domesticis debeat, non intelliget: nullius virtutis admiratio, nullius officiorum permutatione devinctæ amicitiae ardor, nullius pietatis amor animum eius unquam penetrabit. Quid multa? Ita sese in omnibus vitæ partibus demonstrabit, ut quasi fungum pro cerebro & pro corde peponem, quod dicitur, circumferre videatur.

Idem ne & Defuncti Consulis optimo Parenti eveniret periculum, & pro homine bestiam Reipublicæ aliquando traderet, rectum educandi studium adhibere voluit, quod ex amore paterno, tanquam è canali, promanat: domesticum putà illud & non peregrinum. Non enim ignorabat Pater optimus, inter ceteras legitimæ educationis partes, non postremam hanc esse, ut discernat probe Pater familias, quamdiu domi detinendi sint liberi, quandoque deinde in exterarum sive regiones sive provincias ablegandi. Quare cum prima doctrinæ Catechetica, artium, & linguæ in Scholâ Classicâ fundamenta jecisset, noluit eum, quemadmodum hodie fit, Academica statim auræ concedere Parens; sed ut prius omnibus repagulis doctrinæ, & morum contra publicas illas syrtes & sirenes pectus muniret suum, in Gymnasio hoc illustri patrio excoli amplius ingenium ad summa aptum natum & expoliri noluit: diversissimo longè animo ab iis, qui filiolos suos, ubi modo are lavari ceperunt, nullis linguarum praesidiis, nullis adminiculis instructos ad extera loca ablegant & aperta hostium vi committunt.

C

Suasit



*Suasit hoc ipsi Amor Patriæ. & nulli non persuadere debet. Patriæ enim tantum à natura nobis impressum est desiderium, ut sapientissimus quoque Ulysses, cum apud Calypso posset omnibus delitiis affluere, tamen Patriam suam Ithacam illam asperissimis saxulis, tanquam nidulum, affixum, immortalitati anteposuerit!*

*Ametis igitur Patriam adolescentes, quæ nascentes vos excepit, pueros habuit: ametis inquam, & adolescentiam quoque vestram ibidem exerceri sinatis. Et vos Parentes, quid causæ est, cur non potius domi vestræ rationem filiorum habere velitis, quam eius causâ exteris hominibus tenellam illorum ætatem imò salutem & famam committere? Profectò si rectè apud animum incommoda inde pullulantia ponderaveritis, non multum me fallit, quin, ejuratâ peregrinâ istâ institutione & ad Anticyras relegatâ, domesticam illam & privatam ambabus, quod ajunt, manibus amplexurî sitis, inque oculis & osculis habituri. Nescio enim quo consilio à Parentibus prope adhuc pueri, vix Alpha Betâque cognitis, cæco quodam impetu ad exterarum regiones & Academias emittantur quasi infundi ibidem doctrina queat & instillari. Unde accidit ut multis numis consumtis non secus atque grues & Ciconiæ redeant sine fructu, aut etiam deteriores redeant quam discesserant. Neque id mirum & insolens videri cuiquam debet, cum naturam hi magis quam rationem sequantur, ad exempla potius quam leges respiciant: Voluptatum illecebris & libidinum, non musarum & virtutum irriti teneantur: Imperitia quadam nec separare possint.*

*Candida de nigris, nec de candentibus atra.*

*Itaque verò, quod Socrates cuidam peregrinatori objecit, corpore non animo peregrinantur. Multos enim videre licet qui,*



qui, cum pueros, aut etiam adolescentes suos in Academias ablegarunt, institutionem nescio quam commodiorem somniantes, sumtibus ibidem non exiguis aluerunt, domum reversos ad studia planè ineptos deprehenderunt, ita quidem, ut cum in Theologiâ Chrysostomos vel Augustinos; in Jurisprudentiâ Bartholos vel Baldos; in Medicinâ Hippocrates vel Galenos; in Philosophiâ Aristoteles aut Platones expectassent; nullos planè in his facultatibus receperint, quas tamen perspectissimas ipsis esse opinati erant. Scilicet tam egregiè aliqui spem & expectationem Parentum suorum fallere noverunt, ut etiam iis persuadeant, tantum se eruditionis hausisse, quò purpureo induendos esse petaso & ut clariùs dicam Doctoria dignitate mactandos publica censura judicaverit.

Quid verò dicam de peccandi illa licentia, quam domestico carcere emissi apud exteros concessam sibi pueri isti existimant? Usu enim rerum & lapsu temporum didicimus, humanam naturam ad quævis vitia proclivem, eamque, nisi legibus tanquam frenis & catenis coerceas, in ferinam facillè transmutari. In exteris enim locis minor est ad facinus Verecundia, ut Cicero inquit. Rectè, mi Cicero, rectè. Videmus enim, simul ac hi tempestivi nimis peregrinatores foras proruperunt, paternumque jugum cervicibus suis excusserunt, continuo alienis moribus laxioreque vivendi disciplina effusos nequitie se totos dedere, omnem pietatis curam abjicere, studiis honestis nuncium remittere, aleæ abdominis, ac inguinis voluptatibus incumbere. Videmus eò studium animumque potissimum suum dirigere, ut cum Plauto elegantie Patre dicam,



Ubi lepos, joci, risus, Ebrietas decent,  
Gratiæ, decor, hilaritas, atq; delectatio.

Taceo corporis jacturam quam foris pueri isti patiuntur. Si-  
leo infinitos morbos quibus infecta tenella corpora succum-  
bunt & collabascunt: quibusq; decocti Juvenes nonnun-  
quam totam domum & familiam reversi inflammant. Phil-  
tra & pocula quæ à Glycerio & Thaide imprudentibus istis  
& stultis amatorculis (Lupanaria enim non pauci frequen-  
tius invisere solent sauciati telo Cupidinis, quàm Musa-  
rum delubra) propinantur, quid commemorem? Quid bo-  
na nostra non dicam imminui sed profundi? Dum enim deli-  
catulos nostros peregrinari jubemus opes simul nostras, at  
quanto cum damno! peregrinari patimur: quando nunc  
pro victu, nunc pro habitatione, nunc pro institutione, si qua  
tamen fuerit, modò pro rebus aliis, quibus nescio, nummi  
quotidie speræ mittendi. Sunt, qui tamen hos in usus neuti-  
quam conferuntur. Domus paterna exhauritur: patri-  
monia decoquuntur: loculi emunguntur: contrahitur æs  
alienum: qui domo pecunias allatum eant, mittuntur; usu-  
ræ indies crescunt, Caupones instant, nomina duplicant, è  
loculis illorum saturari cupiunt: nummi domo missi nondum  
liberant: mittuntur iterum pecunias allaturi, mittuntur ter-  
tiò: atq; ita, ut summatim dicam, peregrinationis istius tem-  
pestivæ nimis vorago omnia tandem consumit, ut ne in rutis  
quidem & cæcis, cum Tullio loquor, solum deinde paternum  
sibi recipiant domum reversi. Præclaros me herculè vitæ A-  
cademiæ in puerili ætate fructus! Præclara immaturæ abi-  
tationis è Patriâ viatica! Præclaros extraneæ conversationis  
thesauros!

Verum enimverò quorsum Ego in primâ statim lineâ  
evagor? Nempe perversi hujus seculi mores à regiâ nos de-  
duxe-



duxerant. Ecce revoco nunc pedem ex diverticulo in viam, ut tandem cum Defuncto nostro monente ita tempore, suadente ratione, omnibus praesidiis atq. adminiculis instructi abitioni patriam nos accingamus. Pro summâ enim prudentiâ, quâ pollebat Parens, cum studiorum ratio & ætas discessum à Patriâ postulare videretur, nec ipse repugnare diutius voluit, sed libens lubensq. in abitionem filii consensit. Filius igitur, cum jaciendis quasi fundamentis doctrinæ, pietatis, artium, linguarum & honestatis omnigenæ in Gymnasio patrio justam consumsisset ætatem, stadium hoc tri-  
viale deserturus, voluntate Patris ab umbratili hac velitatione medium in agmen, inq. castra & aciem Academicam transire constitutum cum animo habuit & deliberatum. Ne verò in amplissimo disciplinarum mari sine Magnete direttore incertis itineribus vagaretur: DEO ter Opt. Max. in auxilium vocato, de scopo ac meta studiorum, ad quam sequentis curriculum etiam fuerit, omnis collinearet industria, serio cogitare cœpit. Et quoniam vitæ genus civile præ aliis ejus ingenio arridebat, cum Themidi Germano-Romanæ Sacramentum dedisset: relictis Musis Anhaltinis, Palatina viridaria ingressus est, & Heidelbergense Minervium cum antiquissimum, tum florentissimum eheu olim petiit, supra sesquimillesimum nonagesimo secundo anno.

Sed quid ita mutato vultu & animo sedere vos conspicio, Auditores? Quid ita tristes & conturbatos? Profectò nisi me animi praesagia fallunt, Musarum vicem dolere mihi videmini, atq. adeò omnium, qui Musis operantur: quando exulantes eas, Martemq. triumphantem eo in loco nunc auditis, qui antea Musarum domicilium fuerat & pacis æternæ



nae templum. Urgent enim universam panè Europam fata-  
les conversiones: Bellis & cladibus aestuat Oriens: ~~fuit~~ Oc-  
casus, inhorret Auster & Aquilo: neq. unquam maiore tru-  
culentior eq. conatu Ecclesiae DEI pestem, Scholarum ever-  
sionem, & πανωλεθρῶν machinatus est per suos satellites  
κυκλοδεράκων Infernalis, quàm nunc fieri eheu videmus: nec  
ulla in regione magis, excepta Bohemia & Moravia, quàm  
factum esse in florentissimo, eheu non ita pridem! Palatinatu  
& Principali eius sede Heidelbrrga, Musarum acropoli, Pie-  
tatisq. sacrario, comperimus. Quare Heidelbergam dum  
nomino atq. adeò antiquam illius conditionem in memoriam  
vobis revoco, modernam quasi innuo, quid mirum, si tristitia  
vos incesat genius? quemadmodum nec mirum est, si & Ego,  
Heidelbergam dum nomino, & posteriorem hunc cum priori  
illius statum æqua lance pondero,

Obstupeo, stant atq. comæ, vox faucibus hæret.  
Sed recolligo me, & stadium, quod cepi, decurrere pergo. Vos  
modò, Auditores animum quoq. recolligite vestrum, & me,  
quemadmodum & vos cepistis, Zephyro benivolentiae vestrae  
adflare pergite.

HEIDELBERGAM igitur, Emporium huma-  
nae divinaeq. heu nuper! scientiae, tanquam ad mercatum  
sublimioris literaturae missus Defunctus noster nihil laboris  
& industriae intentatum reliquit, ut in penetrabile Divae The-  
midos adytum admitteretur. Unde annuo spatio, quod ibi  
commoratus est, tantum profectò sibi adquisivit scientiae,  
quantum multi vix quinq. aut sex annorum curriculo. Ubi  
enim primae institutionis momenta minus ritè dispensata  
sunt, ibi progredi tanta cum lubentia & facilitate nō datur:  
nec



nec nisi privata rectè administrata fuerint, publica firmitatem habere possunt: quemadmodum nec vitia primæ concoctionis curantur in Secunda. Quid? quod plerique cum Baccho frequentius commercia instituant & Marte, quàm Musis operentur: impurisq; & perditis hominibus adhæreant quàm sapientum & Doctorum conversatione utantur. Alienissimo ab istis animo erat ACADEMICUS noster, qui nihil antiquius habuit, quàm piorum & gravissimorum virorum sodalitio gaudere, à quibus & prudentior & melior evadere possit: inter quos Excellentissimum Dn. D. Nebelium, Juris Antecessorem Clarissimum, quem Patris instar habuit, nominasse sufficiat, qui ipsum quoque cum aliis singulari pietatis, probitatis, diligentiae & sinceritatis testimonio infallibili donavit.

Aliis vix lacrumæ testimonia impetrant: huic studia, quæ calidè ille nimis habuit & intentè, impetrarunt. Alii numerata obtinent pecunia: hic vita, juxta Præceptum Pauli, Κοινῶς δικαίως ἔστω Πένης transacta promeruit. Alii deniq; à Madidorum fratrum contubernio testimonium reportant: hic à Doctorum & sapientissimorum Virorum, doctrinæ et sapientiæ encomio tractatus est. Præclarum enim sibi ducebat doctissimorum quorumq; benivolentia se suaq; studia et ornare et munire, non immemor antiqui illius sciti: sapiens eris sapientibus semper assidens. Et sanè elegans, quod Seneca oculus sapientiæ vidit: Nulla res magis animis honesta induit, dubioq; et in pravum inclinabiles revocat ad rectum quàm bonorum virorum conversatio. Paulatim enim descendit in pectora, et vim Præceptorum obtinet, frequenter audiri, aspici frequenter. Occursus me hercule ipse sapientum juvat, et est aliquid quod ex magno Viro vel tacente proficias.

Vultis



Vultis exemplo rem illustrari. Agite percipite. Aristides vel ipso aspectu & contactu Socratis multum sibi accessisse prudentiæ profitebatur. Ego enim, inquit, ô Socrates nihil unquam à te didici, ut ipse nôsti; proficiebam autem, quoties tecum unâ eram, etiam, si tantum in unâ domo essemus, quanquam non in eodem cubiculo. Et tunc quoq; magis si in te docentem intuerer, quàm si oculos aliam ullam in partem dirigerem. Multò autem maximè ac plurimùm, si quando proximè te sederem tangeremq; te & adhererem tibi. Nulla enim virtutis alienæ imitatione præstantior disciplina. Quantum verò, præter eum, quem modò dixi, Aristidem, Consuetudo Socratis et aliis profuit ad sanio rem mentem? Phædonem adolescentem publico lupanari prostitutum redemit: Platonis à Poesi ad diviniora traduxit animum studia: Xenophontem luxuriosum reddidit sobrium: Æschinem & Aristippum pauperes, divitias parare docuit: Alcibiadem ignorantem doctissimum exhibuit: Theagem verò justum fortemq; in repub. civem.

Anne verò simile quidpiam reperimus in Defuncto nostro? Maximè. Cum enim conspirante quasi animorum consensu felicissimè amicitia se junxisset præcellentibus & famigeratissimis in Academiâ istâ Viris: Consuetudine illorum, ut per familiariter, ita etiam per utiliter fuit usus. An fieri posse existimas, inquit Divinus Plato, ut illud non imitetur aliquis, cui cum amore admirabundus adheret? sicuti enim ad profligandam ignaviam plus sæpè spectator, quàm doctrina confert: Ita profectò noster hic non tam assiduâ meditatione, quàm pertinaci emulatione, in juris studio, & Philosophiæ studio profecit, sibiq; de eo prospectum voluit com-  
meatu, qui omnibus nummorum acervis, omnibus Mida ga-



zis, omnibus Pactoli opibus, omnibus Tantalii talentis, omnibus Arabum thesauris longissime præferri meretur.

Quid cogitatis Adolescentes? Liceat enim mihi hac Orationis parte vos quoque alloqui: Quid cogitatis? Observastisne aliquid, quod in simili palestrâ jam vobis desudantibus emulatione dignum videatur? Ego verò, ut reliqua omnia, quæ permulta sunt, & imprimis bonorum Virorum conversationem, prolixitatis declinanda ergò, præternavigem, unicum hoc saluberrimum monitum de vitandâ νεροδοξία & cōtemptu fundamentorum probè jaciendorum fugiendo, certatim vos excepisse nullus dubito. Passim enim reperias adolescentes, qui, sive quod Ignavia dulcedine victi, discendi laborem refugiant, sive, quod puerilia, puerili ipsorum judicio, artium & linguarum studia contemnentes, pueris ea relinquunt: æstimatione suâ indignum arbitrantur, diu Grammaticis inherere nugis: Sed vel ad Theologiam illotâ facie properant, & de controversiis fidei Histrionum more imperitè ad plebeculam tumultuari incipiunt; vel Bartolos aut Baldos vel Galenos aut Hippocrates, Instrumentalibus, quas ita vocant, neglectim habitis disciplinis, fieri se posse autumant. Nimirum ita δοξοδοξία aliquos inflat: ut scientiæ ac eruditionis persuasionem præproperè inflati, veluti folles vento, nescio quam dignitatem sibi imaginentur, & jam pervenisse se ad eam putent, cum tamen limen tantum salutârunt. Sed ô deplorandam cæcitatem! Sortem horum juvenum deplorandam! Scilicet præcoces hi sapientiæ Captatores non absimiles mihi videntur cani isti Æsopico, qui, dum umbram carniû, quod ea major appareret, captabat, veras carnes amisit. Profectò satius erat, ne primoribus quidem labris ab ejusmodi nugivendis literas degustari: quàm ita libidinosè prostitui & adulterari.

D

Quan



Quantò melius Defunctus noster, qui non prius è nido triviali Academicum in solem atq. aërem evolare aggressus est, quàm pennis artium & linguarum probè se convestitum animadverteret. In hoc igitur vos intueri exemplum, Adolescentes, quibus studiorum salus est curatio, hoc imitari convenit & emulari: certòq. vobis persuasum habere, non frustra esse proverbium omnium ore celebratum: **FESTINA LENTE.**

At verò de Educatione & studiis Defuncti nostri quid Ego tam prolixo sermone vobis molestus sum? quasi non jam diu in virili etate gestorum mentionem à me fieri expectetis? Agite ergò, Auditores honoratissimi, ex umbrâ in solē educamus Gregorium nostrum! & quis ab illâ piâ educatione, ab illâ sedulâ institutione, ab illa laudabili præformatione morum, fructus ad Ipsum & alios redundarit, sine fuco & mangonio dicentem me attendite. Ac ipsi quidem mortuo immortalis gloria; vivo prædicanda felicitas obtigit: ad alios verò immensum non tam privata quàm publica utilitatis penu accessit. Ne verò prolixiore oratione vestram satietatem & tedium hac quoq. in parte proritem, quam me jam ante satis proritasse animadverto, ita me vestris attemperabo auribus, ut è plurib. pauca tantum seligam, quæ & publica narratio edocuit & lacertis meis convenire videbuntur. Sed et heic ne evagari liceat animo meo, ad Apostoli monitum me accommodabo, qui tribus capitibus vitam Christianam circumscribit; ut nempe, abnegata mundi Impietate, vivamus *ὡς Θεοῦ διακόνες & ὡς ἄνθρωπων*. Etenim mihi certè defunctus Consul ita hos numeros vitæ Christianæ, quantum quidem in hac imperfectione licitum est, explevisse videtur, ut propterea immortalis gloria mactandus sit.

Ac primum quidem ingens dicendi campus hic sese  
aperi-



aperiret si quantas in pectore Consulis demortui radices PIETAS, Mater illa et Regina virtutum omnium, unicumq; fa-  
voris et praesentiae divinae promerendae instrumentum, ege-  
rit, condigna oratione persequi vellem; cum praclarissimas  
faces cognitionis et scientiae Jehovae semper in eo resplenduis-  
se nemini sit obscurum. Non igitur dicam, quo oris, corporis,  
cordis animiq; habitu fuderit ad DEUM preces, non solum de  
mane et meridie, sed et vespere atq; ipsa nocte. Non dicam,  
qua fronte Deo gratias habuerit, siue domi ageret, siue in  
templo, primum quod homo natus; secundo quod in Ecclesiae  
matriculam relatus: tertio quod Fidei speiq; et Charitatis  
Charismatis et donis donatus: Deniq; quod nominis sui cha-  
racter caelesti Commentario inscriptus esset Dei digito, nulla  
unquam aevi injuria obliterandus. Non dicam, qua attentio-  
ne conciones sacras audierit, caneq; Dominica, quae  $\sigma\Phi\epsilon\gamma\alpha\iota\varsigma$   
est institutio fidei, in verbo Evangelii promissa, participatione  
frequenter urserit. Non dicam quanta alacritate, indefesso  
studio  $\epsilon\varsigma$  coatu veteris ac Novi Instrumenti Roseta volverit  
evolverit: quas praclaras inde rosas, quos narcissos college-  
rit, quae mella deinceps, apiculae instar, animae alveariis repo-  
sta concinnarit. Non dicam quam graviter putarit, ab ine-  
unte aetate, caelestia viridaria affectanda esse. Unum hoc lin-  
quere sub nube non possum, quemadmodum Ciceroni, Pompeius  
Ipsam Victoriā vicit: sic pientissimum virorum Jacobum  
Gregorium pietatem pietate superasse, qua, veluti guber-  
naculo, omnia consilia et actiones direxit, familiaeque suae et sub-  
ditis, ambulans in medio lapidum ignitorum, praeluxit. Et  
quid multis opus est? Uno verbo omnia eloquar. Alliga-  
vit pietatem cordi suo jugiter, et velut torquem circumdedit  
eam collo suo, ut euntem deduceret, dormientem excubiis cu-  
stodiret, vigilantem deniq; materiam sermonis suppeditaret.



Ut vestem gloriâ præstantem induit Eam, & pro Corona læ-  
titie imposuit eam capiti suo: accessit ad eam totâ animâ  
suâ, totisq; viribus suis vias ejus conservavit: ut daretur ipsi  
animus intelligens ad judicandum populum discernendo in-  
ter bonum & malum, & procederet ante populum & redi-  
ret.

O commemorandam igitur Viri Politici pietatem!  
ô exemplum ad omnem posteritatis memoriam ebuccinan-  
dum! Utinam atq; iterum utinam, ô beatissime Consul, tuam  
hanc laudem meritissimam, suam quoq; facere conarentur  
omnes, qui in foro & curiâ publica tractant consilia: minis  
prefectò Ecclesia, minis Scholarum vireta, minis Respubli-  
ca, minis subditorum Casule laborarent. Una namq; est  
Pietas, quæ domos conservat & stabilit imperia; quâ vigen-  
te viget quoq; Ecclesia, viget Respublica, viget deniq; civium  
salus: Cum e contrario omnis imperiorum Majestas concidat  
& collabatur, hac virtutum principe è medio sublatâ.

Devolvimur nunc ordine ita ferente ad Justitiæ docu-  
menta, quæ non minora demortuus Consul post se reliquit,  
quam Pietatis. Clarius autem ista patefcent, si de conditio-  
ne vitæ & functionibus ejus publicis, quæ justitiæ propalan-  
dæ sunt occasio, breviter quoq; disseruero. Heidelbergam  
igitur salutatis tum Præceptoribus tum amicis, voto, & fato,  
nonagesimo tertio anno reliquit, & à Parentibus evocatus  
bono ad eos remigravit animo, ut re ipsa demonstraret, quam  
de doctrinæ & virtutis copiosâ merce alibi locorum etiam  
fuerit sollicitus.

Et profectò si penitiùs istius Viri introspicimus ani-  
mum, non is ipsi fuit qui hodie multis est (quod tamen citra  
ullius contumeliam dictum volo) ut nova perditorum mo-  
rum



rum, luxuria, pergræcationis, petulantia, libidinis exempla — in Patriam totis plaustis importent, ut incessus, status, gestus totus Gallicus appareat aut Ibericus, licet Galliam Iberiamve oculis illi nunquam usurparint, suis: Sed hæc potissimum cura ab Academiâ novum exercuit, ut ea, quæ tam multis vigiliis & industriâ non contemnendâ sibi acquisivisset, in usum Patriæ liberaliter erogaret.

Anno igitur eodem, quo redierat, cum Præceptorem aliquem idoneum Sexta in Schola Classis sibi quæreret, ecce illicet ad JACOBUM GREGORIUM noviter reducem factum itum, & opera eius Classi illi exorata est: quam etiam non recusavit tenellæ puerorum ætati impendere: sed eò potius animum appulit suum, ut spartam recens sibi oblatam suo etiam studio & industria exornaret. Quâ diligentia postea hoc consecutus est, ut non multò post ad Cantoris officium evectus & Choro præfectus fuerit; quem ita rexisse novimus, ut apud multos gratiam inierit non exiguam: Ut pote qui discipulos suos didicerat non tam exercere in literis, quam coercere in moribus, nec proverbio locum dederat: Doctrinam accipite, mores relinquite.

Neq; hoc novum, & insolitum putabimus, virum Academicis prælectionibus formatum pulveri se dicare scholastico non erubuisse, cum à veritate non alienum sit, quod Simplicius alicubi monet: Qui majora initio suscipit, facile succumbit, frustratur, factis viribus fit imbecillior, desperat. Qui verò à minimis incipit semel, utiq; fit aliquando robustior, fidentior & melior, quam ante fuit, ut jam & paria facile superet, & paullo majora tutius aggrediatur. Majora itaq; ut suscipere etiâ possit aliquando munia, minora primum experiri, & pueros regendo seniorum gubernationem, vitæ



civili qui se devoverat, addiscere voluit. Nec in cassum cecidit spes ejus. Cum enim jam novennium ferè in pulvere desudasset Scholastico, munere illo tantum sibi favoris & gratia apud omnes passim collegit, ut anno regnantis gratia, post millesimum sexcentesimo secundo, Principis Excelsissimi & senatorum suffragia multis ipsum praeferrent aliis, cui è Scholâ & umbrâ in solem & Curiam educito **JUDICIS** provincia demandaretur; quâ etiam non sine approbatione & favore omnium ordinum cōtinuè perfunctus est, donec tandem anno quarto decimo Consulatus quoq; dignitas & eminentia, tanquam rectè curati officii testamen accessit. Nimirum in **JACOBO GREGORIO** testatum omnibus piis fieri debuit, verum esse quod Heli sacerdoti Jehova pronunciat: Honorantes me honorabo: Contemptores autem mei leves fient.

Nam & majora honorum axiomata illi decreta sunt cum ad supremi Cōsulis, è vivis sublato Fridrico Hamelio in Consulatu Contubernali gravissimo, dignitatem honorificentissimis eveheretur suffragiis anno seculi hujus vigesimo: quam etiam secundâ vice solus, nullo Consulatus Candidato addito, singulari contentione asseruit, ita ut tuta fuerit inter improbos innocentia, & in ipsis improbis formidato supplicio refrenata nocendi facultas.

Neq; verò istâ amplitudine, splendore, dignitate & successibus rerum paulatim auctus, ad turpissimi fastus luxuriaeve materiem se composuit, neq; ad fastigium hoc evectus, usq; adeo sibi ipsi placuit & blanditus est, ut **DEUM** sese arcem tenentem fecerit, aliosq; non ejusdem autoritatis viros omnes de lapide emptos aut Thebano sub aere natos duxerit, quod multi hodie in usu habent dignitatum umbris



bris exilientes vento pleni, veluti utriculus inflatus. Imò  
 ausim ego affirmare & quotidiana docuit experientia eos,  
 quib9 jam exigua spes facta est supereminentia, ita intumu-  
 isse, ut neminem præter se hominem & ad lyram aptum exi-  
 stimaverint: se verò solos Bellerophontes, Pegaso insidentes,  
 Hercules finxerint, rebusq; tractandis Lycurgi sibi ac Solonis  
 somniaverint apud semetipsos consilia. Et inde est, quod  
 opinione Sili A vertice sidera tangant, aquila altius volent,  
 pavone deniq; latius se extendant. Sed ô fastus! O Vanitas!  
 Labruscas nimirum isti homines pro uvis mihi videntur col-  
 ligere: atq;

Ventus ut amittit vires, nisi robore densæ

Occurrant sylvæ, spatio diffusus inani:

Haut aliter illi Gallinæ albæ filii evanescent, tandemq; dejici-  
 untur cum Phaetonte & Icaro: sæpius & cute exuuntur  
 cum Marsyâ, meritasq; arrogantia suæ pendunt panas. Est  
 enim ita, quemadmodum nobilissimus Donsa scribit:

opinio puta

Imaginosa corpori

(fata unde) adhæret, impedita sensibus

Graviq; nixa perpetim

Luto: Cui usq; pœnitentia it comes

Vaga, ebriosa, futilis.

Nec aliter, quemadmodum Seneca ait: Imprudentium ista fi-  
 ducia est, fortunam sibi spondere: sapientis verò letis non  
 credere, omnem fortunæ licentiam in oculis habere, tanquam,  
 quicquid potest facere, factura sit.

Non poterat igitur benè compositus Defuncti Consulis  
 animus eminentiâ istâ vel frangi, vel ad luxum fastum-  
 ve defecti: Sed in eo potius omni cura & contentione dies  
 noctesq; elaboravit, ut quicquid virtutis sive naturæ benigni-  
 tas



tas indulgisset, siue doctrina acuisset, siue etiam ipsa Parentis & aliorum exemplis roborata assuefactio suppeditasset, id omne in Rempublicam liberaliter conferret & civium saluti Patriæq; unitè charissimæ impertiret.

Agitè verò, Auditores, curatiùs aliquanto merita illius erga Patriam collustremus. Vel enim lustramus Ecclesiam, vel forum, omnia mehercule insignia & memorabilia lustramus merita. Principem Rerumpublicarum virtutem, cuius solius in gratiam supremum Mundi Numen Numina vitaria in terris constituere, regnaq; tueri voluit & imperia, una voce omniumq; assensu esse dicunt, ut sint hospitia Ecclesiae & piarum scholarum fulcra: ut ita frustra mihi esse videantur planeq; improbi, qui finem hunc Politicæ administrationis aut indiligenter habent, tanquam ad civiles curas non attinentem, aut radicitùs evellere atq; suppressere eandem toto molimine conantur. Solem enim è mundo tollunt, qui curas istas convenire denegant iis, qui cum imperio sunt & potestate: Imò, cum scientissimis errare, quis non perspicit & cognoscit, tam impiè & sceleratè scripturientes?

Non hac opinionis nube involutus fuit Consulis nostri animus, qui eò omnia sua consilia direxit, velisq; & remis contendit, ut Ecclesiae hujus urbis & scholæ sua salus constaret, suus adesset vigor & honor perpetuus. Quam quidem felicitatem consecuturam tum demum pio statuebat animo, si suo, quantum posset, loco conniteretur, ut puritas doctrinae Christianae & legitimus Sacramentorum usus in templis sacra tecta manerent, sacri Ministerii authoritas non despicabilis floreret semper & triumpharet: tenella quoq; puerorum ætas in omnes vitæ articulos, ad omnia officiorum genera, necessariis instrueretur documentis, saluberrimisq; ad solidam pietatem



pietatem & plenum Christianismi officium hortamentis tenelli eorundem animi communirentur. Potestne verò eâ de re dubitare quisquam, nisi qui invidiâ alienæ laudis vel odio publici emolumenti occacatus? Vestram fidem appello, viri Reverendi, Ecclesiastæ vigilantissimi: dicite vosmet ac fatemini pro Candore vestro, pro ingenuitate, quâ attestor, vestrâ, quæ unquam cura potior Cōsulis fatigavit animum, quam ea, ut Ecclesiæ in hac urbe perpetuò bene esset? Nonne ille Mystas venerandos omni favore auxilio & levamine prosecutus est? Nonne ille dilexit eosdem calidè, honoravit cādide? Nonne omni voluntate benignitate & propensione complexus est? Profectò nisi me fallit animus, uno ore respondebitis mihi omnes: utramq; iste solus, quod ajunt, paginam in his omnibus fecit: servavit Ecclesiam, Juvit Ecclesiastes, dilexit eosdem & honoravit, Ecclesiæ columen, Mystarum præsidium.

Et vos quoq; in fidem voco, Viri Præstantissimi, Ludimagistri fidelissimi, dicite & vosmet pro conscientia, quam attestor, vestrâ, annon sæpius ille promptoq; studio huic Musarum sacrario saluti fuerit: sive reditum trica expedienda; sive Præceptores Classibus idonei præficiendi: sive studia discentium inspicienda; sive deniq; contra furorem sceleratæ audaciæ, contra Calumnias malefactorum hominum, & diabolica amusorum odia inermes & innoxie Camenulæ defendenda essent. Vos in universum omnes & singuli, quòd in tam multos, annos Musis heic & Minervæ sacra facitis, nonne secundum DEUM & Illustrem Magistratum solius pænè Consul defuncti aliorumq; judicio & suffragationi acceptum ferendum est? Annon ille benignus Musarum Pater, Patronus, Curator & Nutritius semper extitit? Næ vos quoq; omnes, nisi fallor, respondere mihi audio: Typhin & Automedonta in his omnibus solum fuisse Gregorium, sacram Musarum anchoram, Præceptorum levamen. E Et



Et quaeso, viri boni, quæi literas earumque professores & officinas odisset pius ille Consul, quando sua ipsius pueritia à Musis & Gratiis enutrita formataque videri potuit: quando ipsius ruditatem amuse indolis exterminare, pravumque ruentis animi impetum castigare, adque literas & virtutem ducere pueros non erubuit? Quæi scholas non ornaret & omni conatu proveberet, qui seminaria Ecclesie, armamentaria Reipublice, vivaria æconomiae, officinas pietatis, magistras humanitatis, in quibus Gygantea audacia diffringitur, Cyclopica immanitas cõpescitur, Epicurea vita corrigitur, è quibus omnis in Republica felicitas non secus ac ab Apollinis capillis destillat: sine quibus juvenus, thesaurus ille utriusque politicae corrumpitur, scholas esse semper sibi habuit persuasum? Ornavit itaque quanto potuit studio non tam Ecclesiam quam ipsas etiam scholarum officinas.

Jam verò si forum, si Curia atque senaculum publicum cõpellandum esset, proh quam ampla dicendi materia, in qua triumphare posset oratio, nobis sese offerret. Nullatenus enim mutum erit forum, nec Curia elinguis. Ad vos itaque me converto, Auditores spectatissimi, testes omni exceptione majores: nonne est ita ut dico? nonne excidimus viro bono & utili, partim Collegæ & amico charissimo, partim verò Fautore & Promotore suspiciendo? Ipsi medius fidius Parietes, ipsa subsellia quæ pressit, loqui gestiunt & altissima voce testari, quòd à Senecâ Neroni frustra præcentum meminimus, hoc Jacobo Gregorio proprium quasiq; solemne, dum fuit, fuisse, nempe

Consulere Patriæ: parcere afflictis: ferâ  
Cæde abstinere: tempus atque iræ dare:  
Orbi quietem, seculo pacem suo.

Quid enim? Vultis Consulem non tantum pro Legis sed etiam pro Gregis salute excubantissimum semper? Ecce vivò  
Jaco-



**Jacobo Gregorio** habuistis: Vultis Consulem omnia ad boni publici incolumitatem justique & æqui bilancem potius quam nutum & gratiam partium litigantium appendentem, nec ambigüe sententiam dicentem? Ecce vivo **Jacobo Gregorio** habuistis. Vultis Consulem bonos præmiis ad obsequium Legis magis magisque, quam aureo Palladis freno pertrahentem: malos autē metu correctionis à vitiis & flagitiis tanquam ferreo aliquo freno retrahentem? Ecce viro **Jacobo Gregorio** habuistis. Vultis Consulem qui cum Scipione unum civem servare maluerit, quam mille perdere, insigni istā virtute, quæ Cæsarem Deum fecit, Augustum conservavit, Antoninū Pii nomine donavit, Aurelianum denique in expugnatione Thyana Bithyniæ urbis ad sideratūlit insigniter ornatum? Ecce vivo **Jacobo Gregorio** habuistis. Vultis Consulem, qui irasci semper novit, quando & quomodo licitum est, hancque suam severitatem Imperanti necessariam ita temperat, ut pena ad paucos metus ad omnes, perveniat, & Ulyssæa planè prudentia vitet ne iisdem de Causis alii plectantur, alii ne appellentur quidem? Ecce vivo **Jacobo Gregorio** habuistis. Vultis Consulem ita civium incolumitati cupientem, ut sedulò caveat, quoad ipse possit ne penna subditorum incidantur ut nequeant renasci, resque adeo cum pulvisculo auferatur? Ecce vivo **Jacobo Gregorio** habuistis. Vultis Consulem super quem benedictio pereuntis pervenerit: qui animum viduæ ad cantum excitavit, qui fuerit oculus cæco, pes claudis, Pater egentibus, Tutor Pupillis, qui in litem etiam eius, quem non cognoverat, argutā tamen & felici indagine inquisiverit? Ecce vivo **JACOBO GREGORIO** habuistis. Vultis denique Consulem, qui quemadmodum Julius Drusus Publicola ades habuit perspicuas, ut domesticae sue actiones quibusvis pate-



rent: Ita pectus ipse haberet pellucidum, simulationis ignarum & Candoris amicum, ut fuci abesset ab eo omnis suspicio, cuiusq; peculium esset lingua cum corde consensus? Ecce vivo **Jacobo Gregorio** habuistis: Cui quod de Fabricio Romanus dixerat, solem citius ab Eclipticâ quam Fabricium à Justitiâ deflexurum, tu verius potuisses accommodare.

Neg, verò in luce duntaxat Consul noster & oculis Reipublicæ magnus: sed intus etiam domiq; non minorem, quod **Sextus Aurelius** in **Traiano** Imperatore commendavit, aluit sanctitatem: quam nos cum Apostolo vocabulo οὐνεγκρίτης comprehendimus. Cum enim quàm erga Deum piè, justè erga ceteros mortales agere conatus semper fuerit didicerimus: æquum jam est, quàm erga semetipsum vixerit Temperanter, sub orationis materiam vocare: Hac enim virtute susq; deq; habitâ, ex templo omnis evanescit pietas, Justitiæ flos deflorescit.

Quod cum pensculatiùs apud animum agitaret demortuus Consul, ut commodius aliquanto Temperantiæ fines servare & observare posset: nuptias cogitare cepit & læta jugalia anno nonagesimo tertio: cum sciret multa se offundere in hac vitâ inamena, quæ levius libentiusq; feramus adjunctâ vitæ imò latorum tristiumq; aliquâ consorte. Quare Deo pronubo & proxeneta, consensu utriusq; accedente, fidem matrimonialem **Matronarum** principi **Barbaræ**, **Christiani VVillichii** Judicis olim provincialis in **Inclutâ** **Cothenâ** filia & **M. Petri Harringii** Ecclesiæ ibidem Antistitis venerandæ relicte viduæ, pietatis ac virtutum matronalium laude eminentissimæ dedit: & nuptiis auspiciatissimo omine **Nonis Novembribus** eiusdem anni celebratis uxore domũ duxit, officii conjugalis, in quamcunq; sedaret partem, ita gnaram, ut præ illa **Sara** vix **Sara**, **Abigail** vix **Abigail**, **Penelope** vix **Penelope**.



**Penelope** extitisse videatur. *Ecquis verò disertissimus Romuli nepos pulchritudinem huius matrimonii enumerare, nedum deprædicare posset? Exulabat nimirum ab hoc conjugio omnis amarulentia & acor, quod Ethnici volebant, quando Junoni sacra facientes è victimâ fellis eximebāt vesicam exemptamq. post aram abiciebant. Concordiæ enim sacellum domum Ipsorum fuisse & fidei matrimonialis templum, haut puto quenquam vicinorum fore, qui nesciat. Didicerat nempè honestissima fœmina, ut priori, ita deinde posteriori quoq. marito vel his oculis chariori eadem arte subesse, quâ familiæ præesse didicerat. Non lites, rixæ, dissidia audita fuerunt in ædibus illorum: sed pax æterna, tranquillitas concors, unum velle, unum nolle, uxorq. frugi, quæ vultum ex vultu viri cōpararet, jurgia tumultus evitaret, jubēti cita pareret, nihilq. somniculose persequeretur; quin adeò dicto mariti audiens esset, ut si ex oculis animi conjecturam facere posset, obtemperasset ocyus ad digiti crepitum, oculi nictum: ita ut planè existimaret Consul noster, datū hoc sibi divinitus matrimonium, divite patrimonio minimè emtum. Nam quis bene moratam emeret marsupio bene numato? Et certe si quis unquā potuit gratulari sibi letum conjugium: hic potuit. Præter illa enim quæ jam recensuimus & hoc mutui amoris fomentum accessit, quod quatuor liberorum Parentem maritum suum uxor dilectissima fecerit: trium nempè feminini & unius masculini generis.*

*Hoc tamen acerbi accessit, quod masculus nomine **Jacobus** non multò post nativitatem, femella autem una tempore pestis anno millesimo sexcentesimo septimo ante Parentum ora occubuerint. Sed hanc acerbitatem facile edulcare poterant femellæ binæ superstites, quarum una **Friderico Graubeno** Præfecto & Consiliario Aulico ante annum fatis fun-*



do, nupsit & Patrem Consulem honestissimo juxta & suavissimo Avi nomine exhilaravit, utriusq; sexus sobolem felicissimo puerperio enixa: altera intra honestatis limites adhuc se continet virgo pudica & honesta.

Sed ô gaudia hujus mundi vana & falsa! Omnia scilicet nata intereunt, & nihil tam summum, quod non verti, nihil tam magnum, quod non dejici, nihil tam securum, quod non die unâ, uno momento incertum fieri possit. Invieta fortitudo Thomiris unâ morte victa est: pietas Claudiae à morte vastata est: decepta prudentia Æmilia: extinctus amor Arthemisia, Castitas Juliae Pompeji sublata: Forma Dorices deformata: Cæcilia deniq; honestas destructa: ita ut nihil planè sit, quod vim mortis effugere queat. Ecce enim beatissimi hi quoq; conjuges, de quorum felicitate modo sermo nobis fuit, opinione citius crudelis hujus Tyrannæ imperio & violentia mutuo amplexu divelluntur. Concidit enim securo somno indormiscens ante oculos mariti uxor honestissima, in medio letitiæ Conjugalis cursu: nec Pudicitia aut Pudor, nec Timor & reverentia Jehovæ, observantia Mariti Parcarum manus, quò minùs vitæ licia abrumperent, coercere potuerunt. Quam acerbum igitur quamq; luctuosum acciderit his conjugibus, quibus secundum veterem amicitiae definitionem, fuit unica anima induobus habitans corporibus morte properat à divelli, nemo assequitur, qui triste hoc divortium disticho illo metiri nescit:

Non dolor est gravior, quàm cum violentia mortis  
Unanimi solvit corda ligata fide,

BARBARAM enim suam quando humabat Maritus  
adflētissimus: spes etiam atq; opes vitæ suæ omnes unâ sepe  
liebat. Nullus in tota domo erat locus vacuus dolorum, nullus  
angulus, qui nomen Barbaræ non recenseret, non requireret.

non



non persequeretur. Illa venienti marito salutem, præsentem manum, interroganti osculum ferre solebat. Illa abeuntem, ut pudicæ solent desiderare, absentem absens audire, videre. Postquam verò illa esse desierat, solus eheu sibi videbatur relictus, quoniam illa aberat, quam amare præter omnes, quam appellare solebat. Ita plus agri capiebat Maritus ex Barbaræ habitu, quam ex adventu voluptatis! Nam sicuti palmarium gaudii Conjugalis jure meritoque dici potest, si duorum corporum una anima haut dispari Imperio dominetur: sic ædepol nullum in hoc fœdere flebilius vulnus excogitari potest, si una Conjugum Animula bissecta, scissa raptâ sepeliatur hinc gemitu; illinc morte. O vulnus Chironium! ô acerbum funus! Ita quippe

Minuta, magna, summa & ima si vides,

PERENNE SUB POLO NIHIL.

Ne verò mœrore contabesceret puer noster, huic suæ orbitati & solitudini, rebus id suis suadentibus, remedia quasi-  
vit & allevamenta, ad secunda vota animum adplicando. Florebat tum temporis inter puellas Servedianæ pietatis formæ & pudicitie laude florentissima Anna Christina Amplissimi Viri M. Balthasaris Kisevvetteri Gymnasii hujus Inspectoris & reddituû sacrorû, ad D. Bartholomæi, Curatoris filia, omnium virtutum, quæ custodes virginitatis vocantur, imago non picta sed nata, non ficta sed vera, non adumbrata sed expressa, quæ sicuti palmam pulchritudinis Virgines ante alias Judice Natura, acceperat, ita virtutis quoque adorem ambire gaudebat. Opera enim pretium sibi videbatur facere inter summa Majorum exempla nata & educata, si animos avorum animo quoque referret tanto pleniore, quanto illis esset indiscreta corporis specie similior, non ignara illius quod ajunt, Corporis decorem animæ esse hortatorem.

Hæ



Haec itaque illices, haec suadae & Veneres persuaferunt nisi fallor tum temporis Viduo pio, ut posthabitis mille aliis huic uni suum amore addiceret, & tandem Conubio peteret stabili propriamque dicaret: Optimam eam Conjugem fore ratus quae melior virgo & bene fidam marito, quae fida Parentibus fuisset.

Confecta autem res est, tadeoque jugales accensa anno reparatae Salutis millesimo sexcentesimo octavo, annis abhinc sedecim & quod excurrit. Ecquis igitur iterum Latiarum Literarum Parens Tullius, nedum Ego, fidem novorum Conjugum reciprocam, amorem mutuum Concordiam in omni fortuna statu inviolabilem, quamdiu Fata concesserunt expresserit vi ulla orationis? Nihil ambigo, si vos omnes interrogem, qui felicitatem istius Conjugii vel vicini, vel adfines, vel familiares cognitam exploratamque habetis, dicturos omnes, Paradisum se quandam terrenam, aut Deorum Angelorumve in caelis consortium in aedibus illorum observasse.

Hunc tamen felicitatis solem in omnes partes radios suos & fulgorem explicantem obscurabat nebula sterilitatis, quae prolis susceptionem toto Conjugii tempore illis invidit. Acerba per Deum & luctosa calamitas tantoque intolerabilior, quanto longius a praecipuo nuptiarum fine & scopo discedit, quantoque viceversa illustrius est liberorum possessio divinae benedictionis argumentum. Sed bona verba! Deus, nimirum solus est hujus rei arbiter & moderator, cujus iustissima licet occulta voluntati leges ponere, aut, eandem rationes poscere, quanta obsecro sit audacia & curiositatis. Scitum mehercule est Rabbiorum scitum: Quatuor esse claves Dei, quas nemini communicet, sterilitatis, pluviae, cibationis & sepulturae. Non igitur est, cur pii Conjuges si forte Deo sic statuente in solitudine & orbitate vitam degere contingat, nimium angantur, aut in murmura etiam & indignationem adver-



adversus Deum abripiantur.

Solet enim consilio Altissimi in hoc Amphitheatro mundi & in hac velut arenâ tragicos suos ludos exercere Fortuna: & non raro

----- Medio de fonte leporum

Surgit amari aliquid, quod in ipsis faucibus angat. Ita nihil omnino est in hac universa vita, quod vel speciem habeat alicujus boni & non mixtum sit poculo aliquo mærorum. Quare omne quod accidit homini, nihil novum existimemus, inquit Diodorus Siculus, nihil repentinum miremur, nihil non aliquando putemus posse accidere.

Et cōjugium quidem Consulis Defuncti ejusmodi fuit. Cetera penatium virtus ita habebat, ut ex totâ vitâ cuivis appareret in omnibus ipsum *σωφρονος* vivere & aurea mediocritatis cancellis sepiusq; sese continere conatum fuisse. Temperans enim erat in Amore sui dotes ingenii doctrinæ & Judicii non nimium admirans: Temperans erat in motibus animi vehementioribus, iram rationis gyro compefcens, & neq; hominum injuriis neq; fortunæ succumbens: Senecæ illud in Tragædia semper exosculatus: Patiari potius quam facias scelus. Temperans erat in externa morum conformatione, utpote cui sermones fluebant librâ justitiæ examinati, ut esset gravitas in sensu, in sermone pondus, atq; in verbis modus. Temperans erat in honorum cupiditate, Senecæ consilium iterum amplexus, monentis.

Nec abnuendum, si dat imperium DEUS,

Nec appetendum.

Temperans erat in Victu & amictu, luxum illum sybariticum nunquam non detestatus. Temperatissimus deniq; erat in potu: sobrietatis, quod mireris in homine politico, cultor religiosissimus: Contra crapulæ, temulentia & ebrietatis hostis

F

plnèa



planè iuratus; qui ad hilaritatem rariuscule, ad ebrietatem nunquam bibendum esse, in sapientum virorum contubernio didicerat.

Quid verò, dicet aliquis? Itane Angelicam planè vitam Consul iste vixit, ut nihil in universâ vitâ commiserit, atro notandum calculo? Itane ut Deus aliquis omnis nævi & vitii expertis omnia rectè & justè curavit?

Absit à me ut dicam, quod ipse nec dicere nec dici voluit homo, qui humani nihil à se alienum putavit. Cum enim sine vitiis nemo nascatur & omnes omnino homines infirmitate urgeantur humanâ, tantum abest, ut ipse, quemadmodum injurias aliorum, ita nævos quoque suos aquis inscripserit: ut potius cetera beneficia marmori inciderit. Agnovit sua vitia, & sole virtutum tegere, quantum potuit, studuit, quantum non potuit confessione & deprecatione declinavit. Quod si tamen de nævis eius publicè etiam dicendum est, Illud Ego malo potius cōfiteri ex hac Cathedrâ quo tamen famam illius nō tango: Nequaquam ipsum fuisse hominem à lapsus proclivitate immunem: Qui facilius fuerit in multos, quam eorum dignitas meruerit, quod Bonitati tribuo ipsius naturæ: qui officiosior quandoque, quam eius passa sit autoritas; quod humanitati eius adscribo: qui cum nec omniscius esset nec diffidere nosset, statuerit fortè, quod non omnium propalato fuerit, quod Ego cōmuni refero omnium mortalium Conditioni & gubernandæ Reipublicæ difficultati.

Atque ita diximus de ortu, progressu, de flore, de maturitate eius ætatis. Jam de illis, quæ circa epilogum & exodium vitæ ejus quid differam? Æterna à principio dictâ lege nihil genuit Natura Parens sine lite, nihil sine offensione, nihil quod stabile aut firmum.

Mutat enim mundi naturam totius ætas,  
Ex aliisque alius status excipere omnia debet.



Nec manet ulla, sui similis res: omnia migrant:  
Omnia commutat Natura, & vertere cogit.

*Atq; omnes homines fato subjiciuntur & generationi & mu-  
tationi. Nā nox nulla diē, neq; noctē aurora sequuta est,*

*Quæ non audierit mistos vagitibus agris  
Ploratus, mortis comites & funeris atri.*

*Adeò nimirum Homo misellus, pulvis, umbra, somnium?  
Et usq; adeò res humanas vis abdita quædam  
Obterit & pulchras fascēs, sævasq; secures,  
Proculcare ac ludibrio sibi habere videtur.*

*Videamus igitur, absq; ullo verborum schemate vel nubilo,  
uti & in hoc stadio se gesserit Consul pius: Sanè improba &  
improvida eius non esse mors potest, cujus proba vita fuit &  
provida: Talem verò vixisse illum ad exitum usq; exitus  
semper memorem, quis tam bardus, qui ex ante dictis non  
colligat? & modò dicendis non adinadvertet? Dicam verò  
quæ dicenda restant breviculo sermonis apparatu. Habuit  
ille & certè habuit res duas in homine summas, Invictam  
Patientiam in doloribus & in credibilem rectæ rationis u-  
sum etiam in articulo mortis. Quo utroq; documento DEUS  
clarissimè approbavit, quantum posset in fragili luto, in aquæ  
& sanguinis bullâ, in re nullâ divina potentia. Vosne Adito-  
res nimium Solis æstum ferre possetis? At ille etiam Camini  
probatorii flammās perferre potuit. Vosne flammam  
tangere? At ille etiam istus ignem tulit. Vosne ignem pati  
digito unius intervallo quadrantis? At ille non modo horam,  
non diem, non mensem, sed novem & viginti præter pro-  
pter septimanis prunas etiam ardētes exquisitissimorum di-  
lorum perpeffus est. Tota enim æstate anni superioris vix  
unquam exquisitè vaelre sed indies viribus attenuari visus  
F 2 est*



est, donec tandem tribus ante mortem septimanis, Icterus, cum intolerabili languore, indies accrescente quasi mortis prænuncius fores & pectus eius pulsaret. Interea ne tantillum quidem victus ut vultum immutaret, sed neq. moram Servatoris ex hoc corpore exolventis agrè ferens, quin antiquo robore animi orationes matutinas conciperet, disponderet meridianas, ornaret vespertinas, nocturnas etiam instar legationis ad Deum mitteret. Adeò nec immaniissimi cruciatu, & adolores animi ipsi expectorare potnerunt, quo minus summâ animi fortitudine & generoso spiritu, abundante patientiâ eosdem vinceret & triumpharet, odoramentis è myrothecis sacrarum literarum corroboratus.

O igitur Patientia! Ita sane tu omnia vincis adversa non reluctando sed sufferendo, non murmurando sed gratias agendo. Quid? Quod ipsam mortis etiam superes acerbitatem & horrorem, quem suis cervicibus perpetuo imminentem hostem egrotus Consul præstolatus est precum copiis validissimis.

Ipsa igitur die emortuali, jam jam extrema pugna signum expectans, quo magis muniret se adversus hostem, comitem pugnae sibi adscivit Dei internuncium, Virum Reverendum Christophorum Teichmannum, quem etiam accitum & adscitum præsidia statim & auxiliares copias rogavit. Annuente autem Comite & auxiliante pro hominum fidem! Quantâ hostem, aciem contra se moventem, aggressus est animi alacritate?

Christum cape, Mi Consul, ajebat Mysta, ulnis fidei: hic enim contra morbum saluberrima habet antidota: hic mortis spicula repressit: hic etiamnum cōtra mortis vim oviculas suas tuetur. Confide modò, & quem tibi monstro potentissimum cape Tutorem. Imò verò, summâ animi magnitudine  
ne re-



ne regerebat Consul: Christum Ego meum tam arcte fidei  
ulnis complexum teneo, ut nihil futurum sit, quod eundem  
eripere mihi & extorquere possit. Ejusdem planè confiden-  
tia cum Paulo Electo Dei organo, qui nihil aut infra aut su-  
pra terram esse asseverabat, quod fideles sejungere posset aut  
avellere à summo illo & immenso Filii Dei, proprio in rei te-  
stimonium sanguine effuso, amore.

Nec verò sub extremum vitæ halitum ab istâ magni-  
tudine animi recessit, sed strenuè & summâ fiduciâ in Chri-  
stum servatorem pugnavit. Imò Frater, agebat fratri hono-  
ratissimo jam jam animam exhalaturus, est ita quemadmo-  
dum dicis, etiamsi occiderit me Dominus tamen sperabo in  
eum. Dixit, fecit, speravit in extremis animæ & corporis an-  
gustiis, & spe ista tot per angustias tot per scopulos & vada  
ex alto miseriarum humanarum pelago in optatissimum sibi  
ac desideratissimum portum penetravit. Illa ipsa enim ve-  
spéra, Nonis Octobribus circa horam 10. superioris anni,  
Consul hic & re & nomine vigilantissimus paternarum vir-  
tutum hæres, patriæ sidus, Reipubl: ocellus, annum agens vi-  
tæ suæ tertium & quinquagesimum vivendi pausam fecit:  
Ita expirans placidè, ita quietè, ita tranquillè, citra omnem  
membri palpitum, citra omnem pedis aut brachii tractum, ut  
citius obsopitus sit, quam suspicio esset ipsum moriturum: Deo  
hanc ipsi faciente gratiam, ut nullo agone torqueretur, nulla  
trepidatione angeretur, sed inter vota tacita & vitæ æternæ  
desideria animo & corpore compositissimo, ut lampas oleo de-  
ficiante solet, extingueretur.

O beatam mortalis vitæ clausulam! O victoriam omni-  
bus Romanis triumphis in infinitum anteponendam! Decerta-  
sti Consul beatissime bonum certamen cursum consummasti,  
fidem servasti: nunc imposita est tibi Corona justitiæ destina-



ta à Domino Deo omnium capitibus, qui Christum ex animo diligunt: gloriosè nimirum vicisti, Anima sanctissima; palmam obtinuisti in hoc foro, in hoc campo. Immortalis vitæ te manent fructus: immarcessi bilibus flosculis tibi texta est gloriæ corolla. Periit labor, periit cura, periit dolor: perennis gloriæ letitiæq; æterna manet seges, floret, viget; æternumq; manebit, florebit, vigebit. Exiisti è tumultuario huius vitæ theatro ad æternam requiem, ad beata illa sanctarum animarum concilia, ad regionem illam viventium profectus, ubi Deum laudas sine fine, amas sine fastidio, vides sine fatigatione: Exiisti transiens de labore in refrigerium, de expectatione in præmium, de morte ad vitam de fide ad notitiam de peregrinatione ad quietem: Et id me Christe, ingenti cum plausu! Scilicet haut dubie applaudentes quoq; cælorum Chori, ut omnes sanctorum beatorum animas, ita tuam quoq; exceperunt. Agite igitur Auditores! Quidni Et nos applaudimus veniente Christo Et nos hinc evocante, atq; amplectimur sortem cuiq; designatam suam cum applausu?

Ego profectò ut tandem extremam manum operi imponam, applaudens desino Et serio conquiesco.

Magnus, Consul beatissime, fuisti, perenni memoriæ famâq; dignus! Id vitæ tua probè cæpta, instituta prudenter, confecta Piè, Justè, Sobriè adfirmat. Id circa exitum vitæ invicti documenta aniui docuere.

Ut idem non minùs verè dixerit aliquis de te quam seipso dignâ Philosopho voce Senecâ: Ante senectutem curasti ut bene viveres, in senectute ut bene moriaris: bene autem mori est libenter mori. Nunc te, ô felicem, beatissime Consul! ex hac quod mundi fece recto vitæ cursu evolaveris Et alâ in cœlestem illam beatamq; tibi, uti Et omnibus Electis, ante mundi jacta fundamenta, paratam sedem. Quid amplius ad-

dam



dam Auditores? Bono omine concludam. Misereatur DEUS  
 Ecclesiae: misereatur Reipublicae, misereatur Scholae & nos  
 omnes tandem hujus vitae saturos in eundem Beatorum lo-  
 cum traducat. Vobis verò, Auditores longè eminentissimi,  
 pro ista benivolentia, quam hodie in me audiendo declarastis,  
 quando alia referendi occasio mihi non suppetit, tranquilli-  
 tatem animi sine turbis, sanitatem corporis sine morbis: gau-  
 dium sine mœrore, voluptatem sine dolore, vitam sine  
 terrore, viam sine errore & tandem aliquando  
 mortem sine horrore precor.

D I X I







W 1999

[70/98]

ULB Halle

3

001 915 363



56

V3 17 ✓

Retro ✓







